

Circuli linguae latinae de quaestionibus
practicis circa sacerdotium ministeriale.

Magno proposito quaestionum acervo circa res practicas de sacerdotio ministeriali, aestimaverunt Patres Circuli linguae latinae non posse serio perpendi omnes et singulas quaestiones tam brevi temporis spatio: ideo, sequendo ordinem ab Em. mo Relatore statutum, in ea tantum institerunt capita, super quibus apta responsio, ipsorum sententia, dari modo valeret.

Hujusmodi quaestiones proveniunt ex quadam crisi generali orta, ut dicitur hodie, ex incertidine tentaminum quibus pervenire intenditur ad insertionem sacerdotis in mundum hujus temporis; Haec crisis, putant nonnulli, pendet plerumque a structuris novis quibus insertio accommodari debet.

Attamen novae structurae semper locum habuerunt in decursu saeculorum: insertio sacerdotis semper necessaria iudicata est ita ut etsi debeat, ad exemplum sancti Pauli, esse "segregatus in Evangelium Dei" (Rom 1,1), non tamen separatur sacerdos a ~~proximis~~ mundo: "omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum" (Heb 6,1); Hinc apparent differentia inter segregationem monachorum et segregationem sacerdotum. Prima separat ab hominibus et tendit ad unionem cum Deo per exercitium consiliorum evangelicorum; altera autem, Cristi ministerium exercendo, tendit ad salutem sive ipsius sacerdotis sive fidelium procurandam.

Fatendum est gravitatem praesentis criseos provenire praesertim ex deficiente vita spirituali in sacerdote, qui non quaerit insertionem in mundum facile periculum currit absorptionis a mundo.

Concilium Vaticanum II in Dec. Praesbyterorum Ordinis n°3 clare nos monet de hoc periculo: "ministri Christi esse non possunt nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores", sed neque hominibus inservire valerent si ab eorum vita conditionibusque alieni remanerent".

Salus animarum magnopere pendet a vita fidei sacerdotis. Notare hic iuvat totam Ecclesiae organizationem ejusque regimen tendere debere primario ad "salutem animarum": qui scopus certe requirit ut libertas filiorum Dei roboretur et defendatur.

Quaeruntur criteria ut aliqua uniformitate ministerium apos-

tolicum in rem deducatur. Possunt quidem plurima dari criteria, sed maximi momenti est ut ministerium sacerdotale ubique et semper idem maneat. Nunc ad singulas propositiones.

I.- Evangelizatio et sacramenta

Cum sacerdotium tendat ad salutem animarum, quae per collationem et conservationem vitae gratiae procuratur, evidens appetit in Ecclesia necessitas sacramentorum, quae fontes gratiae sunt.

Sacerdos ergo, non solum magna cum cura administrare debet sacramenta sed debet magna cum diligentia sacramenta intelligibilia reddere per predicationem et catechesim et generaliter per evangelizationem, quae maxime requiritur in acrivate missio[n]aria Ecclesiae. Si sacerdoti commendatur ut imitetur quod tractat, fidelis instrui debet circa quod tractat et recipit per sacramenta ut ~~de~~ illorum spirituales fractus capere ~~possit~~ iisque uti possit. Hic labor evangelizationis ~~fix~~ et administrationis sacramentorum fit per structuras a lege determinatas, inter quas computandae sunt paroeciae et quasi-paroeciae. Labor apostolicus debet certe facilis reddi in quantum fieri potest: exco-gitatae sunt formae pro parvis communitatibus (communautas de base) quae tale opus facilius redderent; attamen nisi caute procedatur et sub legitima auctoritate Ordinarii et bene determinatis conditionibus hae parvae communitates periculosae sunt, cum destruere possint paroeciam et disgragare eccl[esi]am per separationem ab Episcopo, a parocho et ab aliis fidelibus.

II.- Ministerium pastorale et saeculares operositates

Ministerium pastorale est activitas humana plene valida, immo prae ceteris excellens si cum iisdem comparetur; requiritur proinde ut communiter eidem ministerio plenum tempus dedicetur. Quoad alias activitates quae a sacerdote exerceri possunt illud habeatur prae oculis quod in Decr. Presbyterorum Ordinis n° 8 praescribitur. Quaecumque tamen est sacerdotis activitas, sacerdos semper sacerdos maneat, omnesque suas activitates ad principium ministerii sui scopum dirigat.

De activitate politica haec ~~xxxix~~ videntur proponi posse:

- a) in casibus ordinariis, sacerdos abstineat ab actuositate

in factionibus politicis ut plena fruatur libertate in sua activitate pastorali erga omnes fideles, utque omnium fiduciam sibi conciliet.

b) in casibus extraordinariis, potest in eadem activitate politica partem habere ob bonum commune de expressa facultate sui Ordinarii, qui eamdem non concedat nisi cautissime et iuxta magisterii praescripta.

c) sacerdos suos fideles ita instruat ut in factionibus politicos suum opus in commune bonum exerceant.

¶

III.- Corresponsabilitas in actione pastorali

1) Inter Episcopum et sacerdotes.

Haec corresponsabilitas fundatur super principium subsidiaritatis, quo auctoritas Episcopi et collaboratio sacerdotum constituunt servitium ut omnia in unitatem redigantur. Quod fit per communionem hierarchicam, quae agnoscit in Episcopo Pastorem, qui ministerio praest, et alitur fraterno affectu et amicali dialogo, quo quidem Episcopus potest ~~xxxxxxxxxxxxxx~~ cum sacerdotibus suis conversari.

Nimia magnitudo dioecesium certe non favet huic fraternae communioni: ideo circulus noster votum expemit pro recta et congrua divisione harum dioecesium. Adimplendum autem officium pastorale est ad cognoscendam dioecesim, sacerdotes et fideles multum confert Episcopi residentia in sua dioecesi. Quapropter inminutio organizationum ~~ex interius exterradiecessim~~ quae saepe longe tenent Episcopum a propriis fidelibus valde iuvabit ad favendas relationes Episcopi cum grege sibi commisso.

Consilium presbyterale recte constituatur iuxta normas a Concilio et a Sancta Sede datas: sed caveatur ne idem fiat coetus presisionis penes Episcopum. Pariter admittendus non videtur qui dicitur coetus interdioecesanus vel internationalis consiliorum presbyteralium, quia, iuxta spiritum Concilii, consilium presbyterale a solo Episcopo pendere debet.

Denique, cum religiosi sacerdotes magnam operam pastoralem praestent in dioecesibus, meminerint oportet et ipsi ~~in~~ necessitates communionis hierarchiae, sese fideliter conformando praescriptionibus dioecesanis et exemplum vitae sacerdotalis et religiosae praebendo.

Quod ~~exspectat~~ ad consolations sacerdotales, eae ne condantur sine approbatione Episcopi.

2) Inter sacerdotes et laicos.

In Constitutione dogmatica "Lumen Gentium" n° 33 multum extollitur apostolatus laicorum qui magni auxilii esse possunt sacerdotibus. Ideo laicis convenientia opnia munera, quae iam recensentur in capite tertio decreti "Apostolicam actuositatem".

IV.- Sacerdotium et coelibatus

Etsi non desint defectiones sacerdotum ob non servatum coelibatum, permulti tamen sacerdotes non desinunt eidem coelibatui fidelitatem praestare, orando et vigilando, adeo ut sint gloria Ecclesiae.

Unanimiter Patres latini et orientales malorem coelibatus sacerdotalis in Synodo agnoverunt, cuius bona spiritualia in apostolatum Ecclesiae redundantia pretiossissima et inaestimabilia sunt. Ideoque Patres circuli linguae latinae volunt ut sacri coelibatus lex in Ecclesia latina integra maneat, Quod attinet ad quaestionem de ordinatione conferenda viris uxoratis tardioris aetatis certis in circumstantiis Patres nostri circuli, exceptis duobus Patribus orientalibus, censuerunt id non esse neque opportunum neque utile, immo forsam damnosum quia per hunc gradum concessionis via in hodiernis adiunctis abolendo coelibatui aperiri possit.

V.- Vita spiritualis Pastorum

Cum multa hac de re et ubertim docuerit in omnibus suis documentis Concilium Vaticanum II, valde insistimus ut in rem haec doctrina ducatur, adeo ut sacerdotes sint forma gregis ex animo et fidelibus supernaturem vitam verbo et opere abundatius infundant.

VI.- De retributione oeconomica.

Admisso principio: "qui altari inservit de altari vivere debet", clare apparet sacerdotem jus habere ad retributionem oeconomicam quam suis necessitatibus providere possit. Sperandum est fore ut commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo criteria generalia statuat hujus retributionis et sistema beneficiale et "iura stolae" quae dicuntur iuxta spiritum Decretorum Presbyterorum Ordinis n° 20, congruentius cum indole sacra ministerii sacerdotalis, recognoscatur.

5

VII.- De preparatione hodie ad sacerdotium necessaria.

Cum spes messis sit in semine, oportet quidem ut seminaria rite reformatur, sed non abprimantur, Ut patet non solum ex Doctrina Concilii (cf. praesertim Dec. "Optatam totius" et Decl. "Gravissimum Educationis") sed etiam ex Instructioibus datis, ih spiritu Concilii, a Sede Apsotolica: quae ut in praxim deducantur sedulo et omnibus diligentia, maxime in votis est.

Alumni sacrorum instituantur quidem iuxta nostri temporis exigentias psycologicas, paedagogicas et sociales; attamen cum esse debeant ministri Christi Crucifixi exercitio mortificationis, segregationis a mundo, pietatis erga Christum summum sacerdotem et B.M.V., castitatis denique et caritatis extimulentur. Libertas vero non nisi ea iisdem concedatur quae efformandae ipsorum personalitati vere conveniat. Dolendum est quod parsae sententiae de integratione affectiva, quae dicitur, et libertatem ultra modum auxerint et alumnis no[n]cuerit.

Superiores Seminarii sciant se esse suorum alumnorum Patres et Magistros, ut in futuris sacerdotibus vere formetur Christus.

Haec omnia vix attingi possunt in institutione quae fiat in parvis coetibus. Quapropter iidem ne permittantur nisi de expreso consensu et sub vigilatia Ordinarii.

Expectant multi ut Instituta Romana pro institutione alumnorum sacrorum sint omnibus exemplo salutari.

Postremo de institutis parandis pro formatione permanenti sacerdotum normae rite observentur quae datae sunt a S. Congregatione de clericis die 4 novembris 1969.

P. Polanik

+ Ignatius F. X. Baderini
Patriarche Cilicie Ammanum